



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. V. Diluuntur argumenta ex ratione petita,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

in expositione capitis primi docuerat purgari Angelos per crucem Christi.

94. Obijciuntur tertiò quedam S. Thomæ testimonia, quæ videntur repugnare nostræ sententiæ: nam S. Doctor super cap. 11. Joannis lect. 10. exponens verba illa Evangelistæ, *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, subdit: *scilicet omnes Apostoli, & Patriarche, & Propheta, & iusti qui fuerunt, sunt, & erunt, & etiam OMNES ANGELI*. Et infra sic ait: *Plenitudo gratiæ quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis*. Item hîc quæst. 7. art. 9. in corp. docet quod virtus gratiæ Christi se extendit ad omnes operationes & effectus gratiæ, quia Christus est primum & universale principium in genere habentium gratiam, sicuti Sol est universalis causa generationis rerum inferiorum.

95. Ad primum testimonium dicendum, S. Doctorem solum velle, omnes, etiam Angelos, de plenitudine Christi accepisse, quatenus varias illustrationes, & gloriam accidentalem, ex merito Christi habuerunt. Cùm verò asserit, gratiam Christi esse causam omnium gratiarum quæ sunt in intellectualibus creaturis, & universale principium in genere habentium gratiam, hoc intelligendum est secundum distributionem accommodatam, nimirum quantum ad omnem gratiam, sive accidentalem, sive essentialiam, in hominibus: in Angelis verò, quantum ad omnem gratiam accidentalem, quam habent ut ministri Christi in salutem hominum. Et certè cùm locis §. 1. adductis loquatur expressè D. Thomas de gratia & gloria essentiali, negetque Christum eas Angelis meruisse; locis verò in objectione contentis, non loquatur specialiter de illa gratia & gloria, sed de gratia ut sic, & in genere, standum potius est locis illis, quàm istis; maxime cùm ista possint, juxta expositionem traditam, explicari de gratia accidentali.

§. V.

Diluuntur argumenta ex ratione posita.

96. **T**riplici ratione insurgunt Adversarij contra nostram sententiam. Prima sic potest proponi: Christus est primus omnium prædestinatorum, juxta illud Psalmi 39. *In capite libri scriptum est de me*: Ergo est causa prædestinationis omnium electorum, tam hominum, quàm Angelorum, subindeque omnium effectuum prædestinationis illorum: Sed gratia est primus effectus prædestinationis Angelorum, gloria verò essentialis ultimus: Ergo Christus est causa tam gratiæ quàm gloriæ essentialis Angelorum. Minor subsumpta, & ultima Consequentia patent, prima verò suaderetur ex illo communi axiomate: *Primum in unoquoque genere est causa cæterorum*. Ergo si Christus sit primus omnium prædestinatorum, erit causa prædestinationis omnium electorum, tam hominum, quàm Angelorum.

97. Secunda ratio Adversariorum sic procedit: Gratia & gloria essentialis conferuntur hominibus prædestinatis ex merito Christi, quia est caput illorum: Sed Christus, etiam in quantum homo, est Angelorum caput, ut articulo præcedenti ostendimus: Ergo etiam illis gratia & gloria essentialis ex merito Christi conferuntur.

98. Tertia ratio est: Eadem videtur esse ratio de tota gloria essentiali Angelorum, ac de quocumque gradu illius: Sed aliquis gradus gloriæ essentialis

Tom. IV.

A Angelorum (ille nimirum qui fuit præmium correspondens actui fidei quem Angeli adhuc viatores habuerunt in Christum ut consummatorem suæ gloriæ) dependet ex meritis Christi prævisis: Ergo & tota gloria essentialis illorum.

Haec tamen rationes, licet aliquam probabilitatis speciem præferant, facile dilui possunt ex fundamentis quæ supra statuimus. Ad primam enim respondetur, quod licet Christus sit primus prædestinatorum, non tamen eodem modo respectu omnium; nam respectu hominum est primus prædestinatorum, non solum prioritate dignitatis & perfectionis, sed etiam prioritate causalitatis & influxus, quia prædestinatus est ut illorum redemptor, supposito prævisio peccati originalis: respectu verò Angelorum est quidem primus, quantum ad perfectionem & dignitatem, & rationem communem causæ exemplaris; imò est finis eorum, secundum quod sunt præordinati ut ministrent Christo in officio redemptionis; non tamen est primus prioritate causalitatis & influxus respectu gratiæ & gloriæ essentialis Angelorum, cùm non sit prædestinatus ut esset illorum redemptor, sed tantum per respectum ad gloriam accidentalem, quam Christus ut ipsorum caput in ipsos influit, ut articulo præcedenti declaravimus. Quando verò dicitur, quod primum in unoquoque genere est causa cæterorum, hoc debet intelligi de causalitate in aliquo genere causæ, vel efficientis, vel exemplaris, vel finalis, non tamen requiritur, quod sit causa efficiens illorum physice vel moraliter; homo enim v. g. licet sit primus in genere animalis, non est tamen causa efficiens cæterorum animalium.

Ad secundam rationem dicendum, non ex sola generali ratione capitis nos colligere omnes effectus nostræ prædestinationis procedere ex meritis Christi, sed ex habitudine capitis ad talia membra ejusdem naturæ specificæ, ad quorum reparationem principaliter venit Christus. Unde D. Thomas quæst. 29. de verit. art. 4. ad 3. ex fine Incarnationis, quia scilicet principaliter facta est ad liberandum hominem à peccato, colligit quod humanitas Christi ordinetur ad influendum in homines redemptos, ut ad finem principaliter intentum, non autem ad influendum in Angelos; nam influxus supra explicatus quo Angelos illuminat, & præmia accidentalia eis tribuit, non est finis Incarnationis, sed Incarnationem consequens, ut ibidem ait S. Doctor.

Dices, si Christus solum accidentaliter influit in Angelos, dona scilicet accidentalia, solum accidentaliter & secundum quid erit caput Angelorum, non verò absolute & simpliciter, contra testimonia Scripturæ articulo præcedenti adducta, in quibus absolute & sine addito dicitur caput Angelorum. Difficile etiam explicari poterit, quomodo prædestinatio Angelorum subjiciatur prædestinationi Christi, ut consummanda & perficienda per ipsum.

Sed nego utramque sequelam, licet enim ad rationem capitis naturalis & physici requiratur quod vitam essentialiam in membra infuset, non tamen ad rationem capitis moralis & mystici, ut patet in Principe respectu Reipublicæ; unde licet Christus gratiam & gloriam essentialiam in Angelos non infuset, quia tamen habet influxum in illos, tum secundum exteriorem gubernationem, tum secundum communicationem accidentalium donorum, potest simpliciter & absolute dici Angelorum caput; licet non omnibus modis, nec

D D d d

ita proprie, sicuti hominum, ut docet D. Thomas hic art. 4. & nos articulo precedenti declaravimus. Perfecte etiam salvatur, & facile explicatur in nostra sententia, quomodo gratia Angelorum consummatur per Christum: ad hoc enim sufficit quod ab ipso recipiat perfectionem accidentalem, sicut omnis substantia perficitur & consummatur per accidentia.

103. Ad ultimam rationem respondeo negando suppositum Minoris, nempe quod aliquis gradus gloriæ essentialis fuerit præmium actus fidei Angelorum in Christum, reduplicative quæ talis; quamvis enim actus ille, consideratus secundum suam substantiam, & quatenus erat actus fidei aliorum mysteriorum, Trinitatis v. g. fuerit meritorius gloriæ essentialis; sicut tamen erat ei accidentale quod terminaretur ad Christum, ut consummatorem gloriæ, ita secundum terminationem hanc consideratus, non fuit meritorius præmij nisi accidentalis, non verò essentialis.

§. VI.

Corollarium precedentis doctrinae.

104. EX dictis inferes, Christum Dominum non meruisse Adamo gratiam essentialem quam habuit in statu innocentie: gratia enim collata ex meritis Christi, cum sit dependens ex prævisione peccati, est gratia sanans & redimens, unde à Theologis medicinalis appellatur: Atqui gratia status innocentie, non fuit gratia sanans, sed sanitatis; ut enim dicitur Math. 9. *Non est opus valentibus medico, sed his qui male habent*: Ergo non fuit ex meritis Christi Redemptoris, sed ex sola liberalitate Dei Conditoris.

105. Confirmatur: Gratia collata ex meritis Christi, est fructus sanguinis & passionis ejus, cum omne meritum Christi pro his quos sanctificavit, ita fuerit passione sua & morte consummatum, ut nemo per Christum sanctificatus sit, nisi pro eo Christus passus & mortuus sit, ut §. 2. ratione 2. declaravimus: Sed sanguis & passio Christi, non pertinuit ad statum innocentie Adami, ut enim ait Augustinus de corrept. & gratia cap. 12. *In illis bonis Adam Christi morte non eguit*: Ergo gratia essentialis illius status non fuit ex meritis Christi. Sicut tamen Christus ideò meruit Angelis gratiam & gloriam accidentalem, quia eas Deus ipsis conferre voluit, consequenter ad prævisionem Christi: ita propter eandem rationem, gratia accidentalis fidei in Christum ut consummatorem gloriæ, quam habuit Protoparens in sua innocentia, consequenter ad revelationem mysterij Incarnationis; illa, inquam, gratia, ipsi à Deo collata est, dependenter à merito Christi.

ARTICVLVS V.

Per quam gratiam Christus in ratione capitis Ecclesie constituatur?

106. CVM in Christo duplex sit gratia, una substantialis, quæ gratia unionis dicitur, altera accidentalis, quæ habitualis appellatur, difficultas & controversia est inter Theologos, quenam ex illis Christum in ratione capitis Ecclesie constituat, subindeque gratia capitalis appelletur? Vazquez enim hic disp. 48. cap. 4. Mæratius disp. 14. sect. 9. alijque ex Recentioribus, con-

107. A tendunt solam gratiam unionis Christum in ratione capitis constituere, subindeque gratiam capitalem dici debere. E contra verò Medina, Nazarius, Aravius, Cipullus, alijque ex nostris Thomistis, docent solam gratiam habituales esse in Christo gratiam capitis. Existimo tamen, gratiam Christi capitalem consistere quidem in recto in gratia habituali, sed in obliquo gratiam unionis importare. Unde sit

§. I.

Duplici conclusione vera sententia statuitur.

Dico primò: Gratia unionis in Christo, gratia capitis non est.

107. Probatur conclusio ratione fundamentali. Gratia capitis in Christo est illa per quam in quantum homo, influit efficienter moraliter gratiam in Ecclesie membra: Sed Christus ut homo per gratiam unionis hujusmodi efficientiam non habet. Ergo gratia unionis in Christo gratia capitis non est. Major patet, nam influxus qui per se & proprie pertinet ad rationem capitis in Christo, est per modum meriti; licet enim Christus ut homo physice etiam influat in nostram justificationem, hunc tamen influxum non habuit respectu antiquorum Patrum qui justificati fuerunt ante Christi adventum, & tamen est verè caput etiam respectu illorum. Minor verò probatur. Per illam formam influit Christus ut homo moraliter efficienter gratiam, quæ est principium quo merendi: Sed gratia unionis non est humanitati Christi principium quo merendi: Ergo Christus per gratiam unionis non influit efficienter moraliter gratiam in Ecclesie membra. Major est evidens, Minor verò suadetur. Id est Christo ut homini principium quo merendi, quod est humanitati principium quo eliciendi actus supernaturales, & efficiendi opera meritoria: Sed gratia unionis non est humanitati Christi principium quo operandi, cum non informet physice humanitatem, nec eam illa identificetur, quorum alterum necessarium erat, ut per eam posset humanitas Christi actus meritorios efficere, ut disp. 12. art. 2. ostensum est: Ergo gratia unionis non est in Christo principium quo merendi.

108. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Gratia capitis constituit Christum intra genus & ordinem operativi, per illam enim Christus constituitur potens influere in alios: Sed per gratiam unionis Christus non constituitur intra genus & ordinem operativi: Ergo per illam in ratione capitis Ecclesie non constituitur. Major patet, Minor probatur. Gratia unionis nihil aliud est quam ipsa subsistentia Verbi Divini, communicata Christi humanitati: Sed per talem subsistentiam non constituitur Christus intra genus & ordinem operativi, cum subsistentia nec proximè nec radicaliter operativa sit; quia neque est potentia operativa, quæ est principium proximum operandi, neque natura, quæ sola est principium radicale operationis, sed solum terminus & complementum naturæ: Ergo per gratiam unionis Christus intra genus & ordinem operativi non constituitur.

Dico secundò: Gratia capitis in Christo consistit adæquatè in recto in gratia habituali: in obliquo tamen & de connotato, gratiam unionis importat.

109. Probatur prima pars conclusionis: Formans Christus ut homini radicale posse ad influ-